

de jure; idcirco nos Guido Episcopus Aquensis superius nominatus tuis justis supplicationibus inclinati prædicta omnia, & singula in prædicta supplicatione contenta gratiose admittentes, tibi committimus, concedimus, & largimur auctoritate ordinaria, qua fungimur, quatenus de cetero possis, prout melius de jure possumus, & debemus in dicta Ecclesia, & pro dicta Ecclesia, ut asseris curam animarum habente populo tibi commisso, & parochianis dictæ Ecclesiæ Sacramenta Ecclesiastica licite ministrare, & impendere pœnitentias salutare. In quorum testimonium cum annulo nostro aureo de prædicta Ecclesia, & de cura prædicta ad ipsam Ecclesiam spectante te investimus, & in possessionem immittimus corporalem. Et prædictus Dominus Episcopus mandavit sigillum suum apponi in testimonium præmissorum, & infra scriptorum, & ulterius usque ad festum S. Pentecostes proxime venturi contulit prædicto fratri Bartolomeo, quod possit absolvere vere pœnitentes de casibus infra scriptis de jure Episcopis reservatis. Actum, & datum in castro Bestagni die VIII. martii, anno Domini MCCCLXIX., indictione VII.

Casus vero prædicti sunt isti. Primo de blasphemantibus Deum, B. Virginem, & Sanctos. Item de committentibus sortilegia, nisi essent publici incantatores, & divini, & euntibus ad prædictos divinatores. Item de incestu, nisi esset cum matre, filia, vel sorore. Item de commutatione privatorum votorum. Item de perjurio restituto damno. Item de committentibus peccata contra naturam. Item de his qui fuerunt in cavalcatis, & exercitiis, ubi fuerunt facta incendia, vel homicidia, dum tamen non incenderint, nec fecerint homicidia manu propria, alii remittantur ad Dominum Episcopum Aquensem. Item de laborantibus diebus Dominicis, & festivis. Item de his, qui comederunt carnes in Quadragesima, & aliis diebus prohibitis a jure.

*Facultas P. Zucco O. P. absolvendi Alexandria, & Territorio Aquensis diœcesis.*

340

MCCCLXIX.

Die VIII. martii. Noverint universi, quod F. Petrus Zucchus de Alexandria Aquensis diœcesis conventus ordinis fratrum Prædicatorum de Alexandria Aquensis diœcesis se præsentavit, ut moris est, ut possit prædicare, audire confessiones, & facere illa, quæ de jure ad ipsum spectant. Quam præsentationem Rev. in Christo Pater D. Guido Aquensis Episcopus ordinarius dictæ Ecclesiæ Alexandrinæ, & diœcesanus acceptavit, eique commisit, quod usque ad festum Pentecostes proxime venturum possit illis de Alexandria, & de circumposita regione diœcesis Aquensis dare pœnitentias salutare pro casibus infra scriptis.

Qui casus sunt. Primo de blasphemantibus Deum, Beatam Virginem, & Sanctos. Item de perjurio restituto damno. Item de incestu, nisi esset cum matre, filia, vel sorore. Item de sortilegiis, nisi essent publici incantatores. Item de commutatione privatorum votorum. Item de laborantibus die Dominicis, & festivis.

*Ordinatio D. Melchioris cum juramento erga S. P. in Epif. Osnabrug. ab Episc. Aqu. in Eccl. S. Mariæ de Quinzano Niciæ peracta.*

MCCCLXIX.

341

Noverint universi, & singuli præsentis litteras inspecturi, quod nos Guido Dei, & Apostolicæ sedis gratia Aquensis Episcopus, & Comes provinciæ Mediolanensis hoc Sabbato, in quo cantatur missa: sitientes venite ad aquas, sacram ordinationem infra missarum solemniam in Ecclesia sanctæ Mariæ de Quinzano de Niciæ nostræ diœcesis Aquensis generaliter celebrantes receptis cum ea, qua decet reverentia litteris publicis, & patentibus sanctissimi Patris, & Domini, D. Urbani sacrosanctæ Romanæ, ac universalis Ecclesiæ summi Pontificis, & vera bulla plumbea inpendenti cum cordula canabis sigillatis non vitiatis, non abrais, nec abolitis, & omni vitio & suspitione carentibus, quorum tenor sequitur in hæc verba. Urbanus Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Melchiori Electo Osnabrugensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum nos nuper Osnabrugensis Ecclesiæ pastoris regimine destitutæ de persona tua nobis, & fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum, accepta de eorundem fratrum consilio auctoritate Apostolica duxerimus providendum præficiendo te in Episcopum, & Pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes tuis supplicationibus inclinati, qui ut asseris in minoribus ordinibus dumtaxat constitutus existis, ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam, & communionem Apostolicæ sedis habente omnes etiam sacros ordines successive statutis temporibus a jure ab eodem, vel alio antistite similem gratiam, & communionem obtinente assumtis, & in hoc sibi adstantibus duobus, vel tribus catholicis Episcopis similem gratiam, & communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas & eidem antistiti, ut ordines conferre, & munus prædictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam, & liberam concedimus tenore præsentium facultatem, volumus autem, quod idem antistes, qui tibi præfatum munus impendet, postquam tibi illud impenderit, a te nostro, & Ecclesiæ Romanæ nomine fidelitatis debitum solitum recipiat juramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra injungimus interclusam; ac formam juramenti, quod te præstare contigerit nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium, quanto citius destinare procures absquequo Ven. fratri nostro Archiepiscopo Coloniensi, cui præfata Ecclesia Metropolitano jure subesse dignoscitur, per hoc nullum præjudicium in posterum generetur. Datum Romæ apud sanctum Petrum XII. kalendas decembris Pontificatus nostri anno septimo.

Vigore quarum litterarum Apostolicarum præfatum Melchiorum Electum Osnabrugensem, & ad titulum prædictæ Osnabrugensis Ecclesiæ ad sacrum Presbiteratus ordinem ordinavimus, & idem prædictum ordinem contulimus secundum consuetudinem